
Tertkowicz Thomae Antonii: Fons Solis D. Thomas Aquinas, Angelicus Doctor.


V
B
J
C

FONS SOLIS D. THOMAS AQVINAS

ANGELICVS DOCTOR,

Annua suæ festiuitatis recurrente Die,

In Basilica D. Dominici Celeberrimi Conuentûs Posnaniensis, in Augusta Amplissimi Auditorij præsentia

Academico --- Officiosa de Rostris Panegyri
per


M. THOMAM ANTONIVM SERTKOWICZ, in Alma Vniuersitate Cracouiensi Phiæ Doctorem, & in Lubransciana Posnaniensi Academia Rhetorices Professorem

CORONATVS.

Anno Oriente in Bethleem Sole Iustitiæ Deo, & Romæ manante Oleo Fonte 1685.

POSNANIÆ,
Typis Adm. Rndi D. ALBERTI LAKTANSKI.

In Gentilitia Arma Illustrissimæ Domûs
RADOMICCIANÆ



EPIGRAMMA.

Solis purpureus color olim Regibus actus.
  Gaudet coccineis Sola Corona gyris.
Cur tamen hic nitidus rubeo clarescere CAMPO
  Promeruit Kotficz, si cupis, ista legas.
In Patrios scilicet Regali Marte tonando
  Hostes, hoc fudit per sua Prata decus.

Vladislaus Franciscus Radomicki
Fratris Amantissimus
Scholæ Poëseos in Acad: Posn.
Studiosus.

ILLVSTRISSIMO & MAGNIFICO DOMINO

D. ANDREÆ ALEXANDRO
à Radomicko

RADOMICKI

Castellanidæ Calisiensi &c. &c. &c.

Domino & Patrono Amplissimo

Ipso annuæ Festiuitatis Patroni Sui die

Auctor S. & P.

SPatioso *Oratorij profluuij lapsu, non exiguas* Diui Aquinatis *laudes, latepatentem in Orbem diffundere satagens, tantò maiores clarioresq; effecturus reor, quantò ampiliorem suoq; Victoriarum dibapho vbiq; respondentem in patrocinium assumo* TVVM CAMPVM Illustrissime & Magnifice Domine. *Mysticus extra Lybiam, Lybico supra comparationem præstantior FONS hic meus, Vastis currens profluuiis, ideò per* Gentilitium Illustrissimæ Domûs Tuæ CAMPVM, *laeū in mundū, mundè diffluere contendit: quia in Illo amænissimum sibi molitur cursum, dum roseis riparum coronis vtrinq; stipandum: placidissimum lapsum, dum pacificis & condecorandum præstolatur Togis, imò & ornatum intuetur. Nec Illum aberasse fateor, longo licet interuallo collimaret, cuius sub tutela lucem hanc inuiseret, cuius per sinum beneuolentiæ blandè spatians, Zoilorumq; irridens procellas, limpidissimis flexibus suis, mortalium instuat corda, cùm & hodiernam Diui Tutelaris Tui ANDREÆ altiùs trutinans intueor solennitatem. Qualiter enim obstantibus excepta flumina excipulis, blando susurramine remugiunt, auidasq; subaudientium arrigunt aures, taliter hunc* TORRENTEM *meum suaui strepiturum concentu non dubito, dum Gentilitia in* Planitie *Tua, Salutari innixus* Signo D. *Apostolus, illos supplebit obices: per eosq; optatis eundem defluxurum fluxibus, iucundiùs non in acie tantùm oculorum appariturum, ast in aures, dulci cum susurro, imò & in pectora cunctorum influxurum, comitabitur. Neq; fallenti id tribuendum quispiam retur fortunæ, sed Magnis virtutibus Tuis concedendum, cum Montibus de Sanctis, quia Cælestibus, ruat Tui in Sinum KOTFICZ, FONS hic Diuinissimus. Suauiores enim & toto* Orbe *clariores grandi susurramine, suos cum Tuis heroicos actus vt efficiat afficiatq; æuiternâ gloriâ, libens cum properatione delabitur. Magnitudo animi Tui adhuc in Iuuenta, eruditæ Palladi Iagellonico in Parnasso litantis, adeò Virtutum speciminibus, Vniuersorum ad se, non sine stupore,*

alliciens mentes, rutillabat; dicam verius, splendebat & fulgebat, vt dudum conceptam de se omnium expectationem, non impleuerit modò sed anteiuerit. Quem Eurippi gurges capere nequiuit, quia Amplissimum Aristotelem, Tuus Gentilitius cæpit CAMPVS, in tot Doctissimorum Virorum Senaculo, dum subtilissima argumentorum dogmata Solerti Tua toties, discidisti prudentiâ. Aliorum Orationis torrens Rhetorico sese diffundens stylo; Tuæ tot dulcissimæ, quæ personuerunt multoties illis Magnis adstantibus Scholæ Regni Viris, Orationes, mare eximiæ eruditionis fuére. Vbiq; illa in Te resplenduit Virtus, quæ Te in prætexta Togatum testaretur, in Iuuenta Magnum Patriæ Ciuem, quo nunc lætatur, futurum loqueretur. Enimuerò non Vistulam Lechiæ, quia vt Tyberim biberet etiam CAMPVS Tuus actum est: ergo Hesperia vt Te Veneraretur, illuc de Amplissima excedis Patria: vbi eam hausisti scientiam, legum morumq; nactus es praxim, quæ Te Verum Poloniæ Filium, de Nationum exterarum integritate benè erudirent. Inde quâ eruditione expollitus rediisti non vnius mei calami est, quæ fatigat omnium mentes, vbi quæ antiquitas in miraculis suis loquitur, miracula, illa in Te vno nobis Omnibus eadem referunt. Magni Catonis Illustrissimi Tui Parentis Magnum sic expediit Filium in altum procedere, vt altiùs in eminentissimas prodiret dignitates Patriæ, inde humanitatis in omnes sparsurus ampliores radios; quos & nunc diffundenti Tibi Mysticus petit nancisci FONS, vt quam testor semper, eam ampliùs prædicem in Te beneuolentiam. Certè enim Saxo pertinacior forem, si tot fauorum ictus radiis, silere pergerem, qui memini vno tantùm solari tactum radio marmor Memnonis, in Voces erupisse; præsertim quum nihil tam accommodatius reperi ac Fontem hunc Gentilitio Tuo CAMPO inducendû, vt madefieret illius benignitate; nihil simile quàm susurum eius suauissimum, qui vnus ac totus virtutum omnium pridem es concentus. Animus Tuus, qui dudum in humanitatem integer transiit, non poterit non humanissimè excipere allabentem FONTEM istum, quia cursurum dulcissimo cum susurro sacratos D. Patroni Tui per obices: & rosea inter PLANICIEI littora, decus sui vt irriget. Ergo pateat FONTI huic Diuinissimo Gentilitius CAMPVS in gloriam, in profluuium, Oceanus meritorum est, Oceanus & honorum in magno hoc CAMPO ast & FONTI dabis locum in eo, vel ideo quòd Sanctissimus sit, nec facilè exhauriri Valet. Suscipe ad annuam D. Tutelaris festiuitatem Diuum in gratiam Doctorem, Sacrumq; dicenti D. ANDREÆ Salue; Tui obsequentissimi grata digneris aure excipere Vale.

ILLVSTRISSIMÆ & MAGNIFICÆ Dominationis Vestræ

Addictissimus Seruus

& Infimus Cliens

M. Tho. Ant. SERTKOWICZ P. D. P. R. P.

FONS SOLIS D. THOMAS.

ARidis non pauca cernens squalentia supercilijs Venustasq; rerũ symmetrias vetustis decoribus exutas conspiciens, caliginosum ipse concipio luctum AA. Diuturnum subindeq; permolestum in Orbe Polono sicci elementi dominium, ingensq; ac perinde genti nostræ luctuosa primarum lucta qualitatum, non tantùm olim feruentibus Syriorum debacchationibus germinantia ac fluitantia, quæq; languefaciendo pruinæ fauillæq; simillima fecit, sed nunc quoq; nil laxato tam sæuo imperio, imò amplius eluxatâ in Regnum hoc sæuitie, etiam imbriferâ, fluuiatilium piscium nimbosiq; Aquarij demptâ naturâ, vix iam aliquid stillarum, ad abluenda saltem hesterna Cinerum sacra reliquit, dum sacra fame non flumina duntaxat, sed ferè ipsos profundos, fluminum fundos, dira siticulosi Aquilonis sæuitie, in meram glaciem, brumarumq; rudera coagulauit. Pleiades ipsæ atq; Hyades naufragos olim solitæ generare fluctus, hactenus nec stillare potentes, frustra toties tentatis Viribus, in exortuq; suo occasum conquerentes, ius sibi proprium aut violari aut impediri sicco incusant eiulatu. Horridus demum immensi Arbiter pelagi, plurimis alias imperitare potens, ne quidquam eatenus sæuo proficit tridente, nam qui antehac vix glaciabilis legitur, nunc magno tergore pressus, dum ad leucas aliquot Balticâ arctatus glacie, nauales fluctus in niuales suspirans desciuisse luctus, mitiores astris potentis Fratris expectans Fauonios, impotens vindicare præiudicium, tacitoq; pectore, non tacitum voluens dolorem, arido anhelus ore decumbit. Ita sanè quibus adhuc feruidus Phaëton pepercerat, frigida nil conniuet bruma: quibus æstiui indulsêre ardores hyemales reliquam iacturam parant rigores. Ipsum iam irrigandæ telluri Sarmaticæ, abluendisq; cinereis squaloribus optaremus traducere, minusq; perhorresceremus Nylum, si regiones nostræ in Ægyptiacâ fertilitatem ac temperiem degenerare possent. Sed quousq;

querulis vocibus exotica ariditatum leuamina remediaq, imploramus, cùm iam ipsis palpebris domestica hauriamus; Ille ipse quem in annuo redeuntem orbe Venerabundis hodie reueremur poplitibus, gratulabundisq, posequimur mentibus, Diuus Angelicus Doctor, vel in solo Aquinatis nomine quasdam saluberrimas gerit repræsentatque aquas. Solicitas amplius siccitatum exuamus curas, dum in ea aquarum paucitate tanti patrocinium Diui, cum dulci quadam tempestate occurit. Et quoniam inter innumera eius encomia, etiam ad Aquinaticam Petram, Academicâ sermonis allusione ab hac olim exedra ijdem honores allidebantur, optimè rebus meis consultum habeo, dum aquarum occultatricem Petram in Aquinate prospicio. Huc mihi huc celeres volate Pegasi, Bellerophontem agere non tardabo, si celato in Aquinatica Petra Heliconi solidissimas soleas non tardaueritis admouere. Non nouem tantùm, sed Vniuersis Lechiæ Musis, Musarumq, Fautoribus prospicietur, dum latens tanta Hippocrene in scaturiginem resoluetur. Ast obstat sacræ reuerentia Petræ, grataq, pietas osculis potius sugere, quám ungulis cudere suadet. Ergo ego ad Aquinaticam reuerenter accedens Petram, bono omine præsentibus anhelantis Poloniæ succurram proderoq, desiderijs, dum solâ Oratorriâ lambendo linguâ, non vulgarem sed Lybicum Solis eliciam Fontem. Tremula festino voce in Tui adorationem Diuinissime DOCTOR, & loquor hæsitanti in precibus lingua ad Petram Aquinaticam, vt mihi dentur Aquæ, erumpatq, de ore meo, in sonoram æternæ gloriæ laudem, Tibi debitæ facundiæ torrens. Tu modò inexhaustæ Fons Sapientiæ, irriga rore Tuo arida oris mei labia, vt quidquid dicam in sacri Nominis Tui decus, sub Fontis gloria, totum fluat, si non in gemmas coronamenti Tui, saltim in tributum officiosæ pietatis nostræ. Per saxosos torrentis Oratorij anfractus concussa, nec tamen limata lingua mea Tui Aud: Deuot: pacatam peteret attentæ auris requiem, nisi á me pro eadem sacri Fontis, placidissimus cum susurro sonitus, Tibi supplicaret.

Quàm operosam negotij molem, mollibus meis imposuerim lacertis, Fontem Solis è Petra erumpentem Aquinatica, Diuinissimum veneraturus stylo impari Doctorem, Vos tacita cuncti meditamini mente, ego liberâ palam fateor AA. Admirabilis enim saneq, stupenda Fontis in Lybia Solis natura, matura ingenij lance rectè penu abditorum vocata, vel ideò maximè

Quòd rigeat medium quum Sol accendit Olympum,
Et nascente die, tum deficiente tepescat,

altum verò silentium, cùm tenent omnia, feruida scateat lympha;

quantum

quantum mundo stuporem, vniuerso sapientûm cætui scrutandi & materiam & difficultatem, non meo tantùm, quod nullum est ingenio, rite comparauit, ipsi Tyresiæ patet. Non enim plus manifesti in se reliquit, præterquam se vocari à Sole, ob sui directionem: nec maria detrectare ob venarum refluxum sonorum. Agam tamen hodie, exigente istud debiti officij tributum Doctore Sancto, in ausu Icario ipsum Vlyssem, tantò cum grandiori nisu, quamtò cum fragiliori constantia, exiguâ eloquij cymbâ & profundum Aquinaticarum perfectionum pelagus, non solum Fontem sulcare, quasi cum procellis rupem, aut cum Aquilone Caucasum, tentaturus aggrediar. Primũ itaq; manantis Angelici Doctoris infantiæ scrutaturo profluuũ, vbi non minùs communis hominũ consensus, quàm verè bonum vaticinij oraculũ, nam à Bono montis Rocchæ Siccæ Anachoreta, vnde meritò è Petræ fundamentis, vel ipso oris sonitu scaturigentem, Aquinaticæ obseruatam, non in vastis alicuius Regionis spatijs, ast in beatitatis Regno, adusq; invidiam aliarum Nationum pulcerrimo, altero mundi Paradiso oriri, & demonstrant & testantur, contentus subsisto. Ita equidem, non aliunde etiam oportuisse Fontem hunc limpidissimum emanasse, nisi è Paradiso: nec ab alio proclamatum fuisse, nisi ab Asceta Diuino: cui Diuinitas ipsa prototypon Virtutũ, perfectissima norma agendorum, mensura gratiarum immensa, erat futura. Quem ipse Doctorum Sapientissimus sceptris ac diademate Sapientiæ, non tam oneraturus, quàm ornaturus erat, vt orbem vniuersum sapientiâ illâ irrigaret: Ipse Sanctissimus, largas pietatis ac Sanctitatis instillando gazas, ditaturus, vt toti mundo prodesset: Ipse infinitus, magnitudine rerum dotaturus, vt latepatenti superficiei terræ suam ingentem fæcunditatem elargiretur. Simulatq; constitit vniuersis per Diuinum Haruspicem, belle in deserto, ad rupem non Horeb Moysis, sed Petram Aquini disertum, Fontē Solis, ex abysso gratiæ cælestis erupturum in Orbem; extunc quicunq; in vrbe, imò orbe etiam Aquinatum erant affines, augurio optimi boni crescente, prægnantes pignoris spes, ex somnio Theodoræ Matris non vano concipientes, quia MVNERIS DEI, non minus tristi Ecclesiæ ob Heresum spectra absorbenda hilaritatem, ab ortu nouæ fortunæ, quàm alumnæ opem familiæ expectabant. Nec temere sperauit tantum genium, occultis Votis, publica optans commoda, priuatus conuentus: nam Iunonis Lucinæque exceptus gremio hospes desiderabilis, gratas vna secum Charites, charasque orbi Gratias aduexit, importauit. Voluissent licet tum vndis suis & arma, & corpora fortium virorum Idæus

Delere · t conge

Simoeis, vel fatalis Scamander, Græcorum Fabulis memorandi amnes alijque etiam præter hos Quiritum purpureo nobiles Sanguine, æternam hinc aucupantes famam; feliciori cursu, illo die, scaturientes Gentilitij Aquinatum latices, triga Gratiarum, per remotissimos licet iam sæculorũ tractꝰ, Vastũ in Oceanũ Sanguinis, magnis Classibus, tot Colonias Virtutum veteraq; decora inuexerunt, à cataractis suis ortum Fontem auspicantes, æternùm illius duraturi nominis plenâ, planèq; oneraria futuri Classe ornamenti, sese exonerabant. Fontem Solis Lybiæ à Titane regi Sophorum docet litera lituraq; Cosmographorum comprobat. Fons noster iam vel in ipso ortu Fons Lybiæ, Fons Solis; Soli vt responderet in cursu, æquè in suauitate Soli Iustitiæ Deo, en noxâ originali abluitur, nomen Abyssi sortiens, quia Thomæ: vt lymphæ eius à grauido sapore peracerbæ amaritudinis contracto, ex nocte deprauatæ naturæ in Lybico nectareum degenerarent. Iecit Pusio noster duas & quatuor Tesseras A A. Spiritus enim Domini cuius est ferri super aquas, diuidendo trifariam aquas ab aquis, omnia virtutum sanctitatis ac sapientiæ dona, tribus Gentilitijs eius Riuis inspirando, effecit, ut Aquinatici Latices limpidissimi, perenni in æuum fluxu & flexu absq; insontis cæli inuidia, bona, in altum omnis perfectionis opera, deducentes: trini in vno Thoma, Trinitatem in vno Sanctissimam vt venerarentur. Ad Fontis istius primo erumpentes in ortu riuos, euanescite & cedite, nisi fortè iam cum fabulosæ antiquitatis delirijs euanuistis, ac cessistis Arcadici Lycæi fontes, dira siccitate pressis accolis, suis undis salutares Adsunt iam nobis adsunt hodie, feliciori omine, arida mortalium pectora, adustaq; Gymnosophistarum ingenia, Diuino Fontis huius diluvio irrigata, quæ hic latepatens mundus adorabat beata, quorum fæcunditate salutari & lætabatur & lætatur. Verùm nec maria in Fonte Solis nostro videbant nõ inesse suas inditas sibi naturales venas, quum toto impetu cum sonitu ferri, totis conatibus properare, in eorum altum, toto affectu marianas venari gratias, Pusionem intuebantur. Riuuli namq; illius vix diffundi cœperant, en extollens tenellos sui latices, amplexu ruit in maria, absorpturus non aucturus mare gratiarum Mariam exiguo schedulæ deprehensam fundo, ideò ad præsens Pusillus maria absorbens, ne post uniuerso orbi hauriendus deficiat. Ast sodes amœnissime Fons noster, quæ Tua audacia, quæ animositas, totam intra Tui latices Mariam claudere festinas, cui comprehendendæ nec vniuersus sufficit Orbis. Iam hæc iam & Cælorum scopulos, nomen suum, quod petis, vt oleum cum suauitate effusum præseferens, transgressa, & Tu, intra scaturigentia primùm Viscera Tua comprehendere eam conaris. Diomedes & Vlysses in rebus difficilibus valent, vtere

vtere consilio, nec desideres tam ardua, sic dum ruis ne obruaris. Comprime Tuos Gentilitios latices, pia licet cupiditate æstuantes; sanè faciliùs terram conscensuram æthera ne desperes quam intercipere Gratiarum Mare tam ardenter speres. Humum post longam iactationem videmus Auditores, iam ergo plaudamus. Vicit Fons Noster, vortices intra suos dum vasta maria clausit. Videat hic mundus, stupeat Cælũ, miretur terra, concipientes auguria; si tanto ausu aduersus maria iuit, quæ absorpsit, quanto impetu in omnes recalcitrantes insulæ doctrinæ Sponsæ Christi, & plures in sectas quàm Gniden Cyrus discerpentes, vt eosdem absorbendo tollat, est iturus. Audiant hìc pietatis & sapientiæ prodigiũ evoluta sæcula, audiant sacros conatus, quos omnis etiam ætas stupore attonita venerabitur. Aeternarum mentium arbitrio erumpens, quia vltra omnia humanæ ambitionis fastigia erat prouehendus, erudito Cælestiũ gratiarum Magisterio in spem sanctioris literaturæ SSmæ Matris, Sapientiæ Sedis, nectare nutriri quoq; debuit. Vt enim diffusa sui virtute transcenderet infernalis Columnas Herculis, confunderet vana sectarum eiectamenta, coactoq; in Supremi Numinis ditionem iniquitatis Orbe, sacri Herois vota assequeretur, lactabatur hâc dulcissimâ escâ, educabatur hoc suauissimo cibo, quoquo pharmaco præstantiore, ipse toti Ecclesiæ, quid Ecclesiæ? toti Orbi cessurus in potum, quia & in Fontem. Sed tam profundis, altiora Fontis nostri scrutemur funda. Benè vtiq; Falcijs euolutus Thomas, prima innocentiæ rudimenta, Virtutum simulacra, priuilegia sapientiæ, in possessionem, Cælesti è Sacrario, Benedictinorum namq, Cænobio, auspicaturus, recta illuc quinquennalis latices suos direxit; vbi infantile nihil præter ætatem, nihil imbecillum præter corpusculum, prima exhibens glacie indicauit minor adhuc Aesonides, sacro illo in Palladio pulvere, Candidæ SSmi Patris Dominici Familiæ, quàm candida sanctitatis ac sapientiæ uellera de Colchico velut, illo Benedictinorum horto, post erat allaturus. Olympiacum in sacra illa Cassinensium Eremo Christi Licæo, simulatq; adolescens percurrisset, ceu Isthmica dexteritate cursum, tandem Neapolim dirigitur Apollinē invisurus, vbi ad Heliconis docti vndas, immundas tædi mundi ut invenit illecebrarum aquas, fertur separato riuo Fons Noster, ne commisceatur iniquis. Assuetus enim in arcana cella sese cum plebeio comparare, & rursus prospiciens, paulò ante gustatæ sapientiæ obliuisci: ante funebre sagum & pallium, feralia æternitatis auspicia contemplari, & cultu modò nimio & dibapho, ad apparentem tantùm quierem frui: antea firmiores Athlante ceruices incumbentibus negotijs opponere, nunc Virtutum molem libera mente exsecrari; antea in sparta virtutum imbellium affectuum dilabentes tentationum

tationum colligere riuulos, nunc dispares cogitationum riuuos libenter pati discurrere uarijsq; blandientis mundi nugis, aures afficere, mentemq; inficere, ne cum Prometheo Cleon efficiatur, sed à negotio, totus se recollegit, lacteo Mellifluì Doctoris auctus profluuio: vbi incipis nolle fieri melior, desinis etiam esse bonus; cùm qui non proficit, deficit. Ergo Neapoli tale frigus contraire sentiens, de natura feruentibus suis aquis, timens ne vndæ suæ, ardentis Diuini amoris, nuper in illis Olympiacis exercitationib⁹ effectæ, glacie horridæ constringerentur acediæ, cuncta famæ ludentis præstigia, quæ mundus ipsi blandiens præsentabat, absq; fame & dolore abominari fecit, Sacramq, Religionem, pronus quà licuit osculo venerari, properauit. Tu iam absolutissima vitæ sanctioris regula & amussis, vel ipsâ sanctitatis Diui Patriarchæ Tui Face natiuâ, plusquam Diogenea illustrata, hinc æuiternè radiatura PP. Prædicatorum splendidissima FAMILIA, Aquila Tuà, vtiq, *Ioanne*, super aquas Aquinaticas Prodromo vsa, per Religionis sacrum Rosarium: floret siquidem odoratis terra benigna rosis, & rosis Marianis; planiùs dicam stellatum Cælum, quia fulgens Doctis vt stellis: rectos indigitando tramites, grata Tanti Hospitis, libenter ostia pandas. Expandas non riuulos, sed plusquam Nyli amplissimas cataractas, quia ab Aquinatico Abatho, Sacri opera Mystæ, mananti lymphæ Suscipias gratanter, tantum sapientiæ Fontem, actutum non soli tibi, ast toti mundo, profuturum. Putaretis AA. pluere Cælum gratias, ningroq. sidus grandinare auro; quum Fons Diuinissimus, intra Areolas Sacræ Familiæ morabatur. licetsi Erebus euomeret Plutona ipsum, sic actis Furijs, actaq, in rabiem Genitrice, vt amarulentâ magis satyrâ, quam eximia tum panegyri vel ideò solùm digna iudicaretur, quòd eius scaturigines luctu & lachrymis non ampliare, ast gemituum Aquilonibus, & dissuasionum vadis, impedire contendebat. O Thoma [inquit illa] quæ ista fraus, quod piaculum deuotis adijcis? Ita ne læta meditantes Genitores, letho mundi præuenis? Improba hæc solertiæ ratio, præ sæcularũ turbarũ mole, molli se abdicare cultu, ac in quietem obscuram abire: pro delicata aula, stridulâ aura; pro clarissima Familia, obscurissimo Conuentu frui; pro splendido palatij mundèq; fabricato cælo, cellam librosq, possidere, seq, pulcerrimũ naturæ opus, velut in thecam eboneã eburneãq; versicolorem nimirum Habitum, seruare, & non per vniuersum Orbem famâ, cùm possis, volitare. Magnum est, post exhaustum elegantis pueritiæ cursum, ad candidum properare, velut ad Iphigeniæ aram, sacerdotium, at longè maiores sunt hostiæ, & longè grandiora Victimarum oblata, à tantis nos doloribus vetare, & domesticis curis, mundanarumue rerum fastidio pressos Saules, Psaltis more, in melan-

cholia

cholia tristis senectæ, recreare. Purpureus Tu, nec fatalis gentis nostræ riuulus, in Eridanos domesticos ampliandus, quem si hinc educere nequivero, instar Scyllæ Minoëm amantis, Te Natum, & me ipsum in eadem [o Fili] traham exitia. O turbines! o procellas! o atram in Fontem domesticum tempestatem! Quid agis o Theodora? te ne latet Nostrum Fontem ad meridiem, etiam Acheronte ipso æstuante, frigescere, qui noctis horâ mediâ calescit. Hic iam inter mundi tenebras, quas belle discutit, incensus calido amore Solis Iustitiæ â quo dirigitur, minimè minimè curabit has tuas callidas inuentiones. Iam meridiem ingenii consecutus, tuas saporiferas, ad speciem tantùm illecebrarum commendationes, ceu Siculum nouit mare. Quantos AA. legitis furores? quantos concipitis affectuum, ceu ex Vtre Aeolio emissos turbines? non Matrem, sed Thisiphonem tum excitasse, quum nec minis terrefieri; nec muneribus placari; nec demum precibus Natum percelli videretur. Hactenus ergo gratiosa Erynnis Theodora, cum ludit vt eludat Thomam, nec potest, in rabiem acta, Cocytum bibit Tartari, vt tandem Aquinaticum in cursu impediret Fontem. O cruda Fratrum Helenæ degeneratio? vnus Thomas rapitur, detruditur in subterraneos carceris cuniculos, à Germanis Fratribus, quid dum & à Matre, sola comitante innocētia. Sed ehodū nō amica, inimica Parens? tu ne coqueris spe peritirum Fontē nostrum tua ad ima eius detrusione? an agis Messalam? Centrum fontium esse infima emicantium, disce ex vno Nato (si mereris Natum hunc) Thoma, toties illum cum suaui humilitatis susurro ad ima delabi, quoties cælum intendit. Beatus vel tunc decursus aquæ Fontis huius efficietur, quum Castalia Virgo, Tui Filia, Soror Thomæ, crines ad illum lauabit, vt purior ab ipso beatiorq; discedat. Posteaquam Materni in irritum cecidêre conatus, placuit ad inficiendum Sacri Fontis limpidissimum nitorem, nouo vti Mercurij astu; quid non moliris o amor perdite, accensus furoris æstu: nouos at longè primis periculosiores Virtutis casus & procellas dùm cōquiris hostis. Absiste lingua, immortali Angelicæ puritati, ne mortali ore derogare videaris, caueas ne dicendis pereas. Verùm emendari cogor AA; exue Memnonis nodos lingua, & toti propales Orbi; si encomio tanta Virtus vllo extolli nequiuerit, saltim rarum, hinc admirandum certaminis cum impudentia pudoris prototypon expandatur. Accedit ad Fontis Sacri beata ostia Cypri Soboles, voluptatis fomes, mollissimæ Venustatis femina, ipsum planè Diones ac lubentiarum sculptile, nisi quod de Anaitidis holocaustis, se fuisse testaretur. Arrogans caput, fragrantibus lilijs ac splendidis nitet gemmis: iam aurei crines, cirros & cincinnos Zephyri flâtus delicium ferunt: iam candida frons, serenitatis plena, radiat: iam clara facies

 cum

cum tumidis superciliis, partim purpuram, partim violas ferunt: iam scintillantes oculi & blandulæ genæ nigrorem cum rosis spirant: iam lacteolæ manus, rotundum collum, ceterūq; gracile corpus, narcisso cum ebore splendet; & si conferre placet, quæ olim mirabatur Græcia, vmbræ erant & inania somniorum imitāenta; & aurum, in comis Galateæ; & Violæ in palpebris Veneris; & ignis in pupillis Palladis, & ostrum in genis Virginis, & argentum in pedibus Thetydis; cùm hoc totum, in hac tota, omnia in vna resplendebant. Putasses monilia ex ebore pendentia, cæli stellas fulsisse, & vestes corpori amænitatem præbentes floridam Chloridē putasses. Aspectu & gestu videbatur flexanimos lepores edidisse, omnemq; lenocinij speciem muto sermone indicasse. Fons autem noster Mysticus, coinquinatus ne est tanto turbine? absit. AA, imò totus limpidissimus, qui frigidissimus Lybiæ veluti Fons, in ipso diei æstu scatebat. Quid facit infernalis Cocyti astutià temulenta non Diana, sed larua, non Syren, sed Harpyia, addit verba, quibus quandoq; fortissimi hominum animi demoliuntur. Tu ne Solus [inquit illa] delicatissime Adolescens alges? Tu ne algore friges? Aliquid bonæ ætatis ludo dandum: Non omni hora maturescere concessum: Rorem suauitatis excludere stultum est: Creare mæror plurimos morbos solet, quibus nullum malum homini molestius: Disce ex Sapientum Tripode, illorum breuissimam ac solicitissimam ætatem esse, qui præsentia negligunt, futura timent. Hæc nisi plura etiam personata lasciua Nympha, imò lymphas purissimas, nouis mundi illecebris vt commoueret, dulce etiam melos orsa, quod numeroso concentu, certoq; interuallo belle bellando præcinebat. imò [ah impudentia] non dextrè distendens dextras, fortè tota se in Fontem nostrum & præcipitasse ausa impura Castalia, vt saltim vel impetu conturbaret, cùm blandis verborum sonis nequiret. Tam nefando impetu ruenti quæ Fontis Diuinissimi sese tuendi Virtus? Vos AA meditemini, idem periculum non vitæ, sed castitatis, quod vos tacitos tenet, linguam meam exuberantibus eius irrigatam vndis in canendi triumphum agit. Ehodum diobolaris Virtus! cur audaci insequeris gradu, elabentem à conspectu tuo Aquam Aquinaticam? cur ruis in eius versuras? imo siste ocyus gradum siste, menteq; lustra, quid agis? ne te pæniteat facti: Et fontibus sunt sua arma; non in Siculis tantùm aquis, Euripiq; fonte, in nostro etiam eæ inflammantur faces, quibus Cupidineæ extinguuntur: quandoq, & fuluuos vehit vnda leones. & ita est AA mens præscia futuri rectè est ominata. Totus in flammis impij amoris hactenus Fons Diuinissimus dum incorruptus manet, nouo cælestis ardoris Zelo æstuanti, uberes inter lachrymas, assurgit flammatus titio, quo à littore Aquinatico, plusquam

plusquã Virgiliano, frementis Erebi detestabile fugatur simulacrum. O factum non Cedro adamanti satius insculpendum! ô bellum perbelle transactum, mentis tabulæ imprimendum? sic à quolibet vt talis hostis deuincatur. O Victoria, æternâ memoriâ vt comprehendaris, non atro sepiæ liquore, sed sacro Musarum murice, fastis inferenda. Aestuabat ignibus Acheron, Fons Aquinaticus algebat, imò glaciabatur, inter feruentissimos Vesui Tartarei frigebat ignes, vt ardentiùs ferueret in meta. Hîc iam hic non dulcisonas mellifluæ Atticæ suadæ decet Demosthenis præterlabi periodos, vbi & suauissimi puderet Tullium Herculemq; non torrentis fluminis etiã, vbi & Isocratẽ verba inter ludentia hæsitare, Victrix Diuinissimi Fontis extorqueret Maiestas, vbi Periclem in astantẽ fulminare Laidem expediret. Sed desinat Cathedralis Cothurnus, vbi triumphales erigendi arcus, accurrite huc vos administratorij Spiritus Angeli, Angelum imò plusquam Angelum, Angelicũ, namq; futurum Doctorẽ, vestro castitatis balteo, ceu lorica, aduersùs omnes carnis insultus præcincturi armaturi: armauit etiam ille triumphali Crucis Signo postes, posteaquam nigricantes, fumigantis Orci, profligauit hostes, sic vbiq; triumphator vt agnosceretur. Sed enim vlterius præcinctos zona Fontis nostri fluctus ac profundum scrutemur. Biennali erumpens carcere Fons noster, vt æstus æquinoctialis, sub ipsum Cynthiæ Phæbiq; coitum, omnibus alijs maior, vndare, sic hic, qui ad irrigandas omnes Romanæ Ecclesiæ terras, labebatur, solitis maximisq; fluxibus violentior, non iam radices, nec media montium stringebat, sed iuga ipsa Celeberrimi Palatini & Parisiensis Parnassi; mox secum laturus, non madefacta tantùm ipsorum montium latera rupesq; abscissas, sed magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus, à continente Ecclesiæ Dei, recesserunt. Vbi ne annorum flos & vigor lethali marcesceret Syrio, pretiosissimam ætatis hæreditatem, ardentissima sapientiæ siti accensam, nec suis laticibus extingui valentem, breui Apollinis & Mineruæ Fontibus illis, in doctæ Palladis Emporijs, omnium non sine admiratione temperauit; quum omnibus Gratijs Musisq; conspirantibus, splendido teneri pectoris hospitio, & robur omnis literaturæ, & ipsissimam suadæ medullam, & naturæ arcana, philosophando subtilius, & scrutando acutius, absq; mora excæpit. Cæpit statim & Angelicæ dogmata ibidem institutionis, dum primò mirari, post contemplari, mox inaccessæ sapientiæ Maiestatem scrutari, eousq; non destitit, irretorto oculo intuens Iustitiæ Solem, simulq; Mare Sapientiæ Crucifixum, donec ab ipso Vocis sonitum in sui laudem erumpentem; *Bene de me scripsisti Thoma:* audiret. Hinc non suam amplius in hoc Musarum Alumno lusciniæ gratiam, nec Syrenes requirebant

 suauita-

suauitatem; cùm illius ingenium vel hoc ipso testimonio, venerandum, plenâ Charitũ semper prominebat sapientiâ. Vltra omnium enim vota procedens, triumphales literarum laurus, & palmarum messem ubiq, reportabat: ad Exedrarum quoq, fastigia, ipsâ sapientiâ comite, imò Prodromo, palmis sternente viam, etsi inuito, ibat; vt Doctores omnes, quanquam doctrinâ & linguarum famâ celeberrimi, vnius huiusce ingenio, continerentur. Personare iam audeat, vt lubet tumens Trochiotes, impetuosè labens surdos reddat omnes, suo è scopulis lapsu rapidus Becca, clari amnes, hoc ipso nomen sibi comparantes. Suauiores Noster amænissimus Fons tum edidit sonos, cùm Parisijs Sententiarum Libros, planè Discipulus supra Magistrum explanauit. Gratiosiores exhibuit sonitus, quum NeoMagister, propheticam cælitùs sibi datam Thesim. *Rigans montes de superioribus Tuis, de fructu operum Tuorum satiabitur terra*, clarè explicauit. Iam tum feliciùs Sorbonæ, vel sola à Nominis sorbebant *Abysso*, quia Thomas omnem scientiarum Hippocrenem: quum Diuinissimus Aquinas tàm Doctorem, quàm Ductorem, profitebatur. Daretur vtinam sermoni meo vel minimum diaphano de Tuo, Fons noster, libare, vt sic sacra Tui fluenta, quæ cælo non nisi capi, æternitate mesurari possunt, Orbi publico intimassem. Intimassem vt vtriusq, hemisphærij Virtutes tibi vectigales feceras, adeò, vt in mundano Sole, aliquas faciliùs notaret mundus maculas, quá illibatis virtutibus Tuis, aliquid næui impingeret. Vidit, vidit tum Orbis, religiosa sub pietate, excelsam mentem; Vidit sæpius ab eo Præsulum tiaras calcari; Vidit erudito sub pectore augustum vereq, Regium animum, adeò cuncta spernentem ac negligentem, vt dubius ancepsq, fieret mundus, religiosa ne dignitate cæli fauores? an sapientiæ candore humanum genus, & pia generositate, vniuersos honores occuparet? Nonne ergo hic erat vnicus, in quo Diuinitati *Benè* complacuit? Nonne hic Doctorum epitome compendiosa, ingenio *Angelus*, calamo candidus, robore *Athlas*, constantia inuictus, inter lumina Ecclesiæ fulgens castitatis coronâ, inter eruditos præualens sapientiæ mitrâ, arescenti penitus scientiæ, opportuno tempore, Fons è Petra eductus. *Aruissent* vsq, huc limpidissima, in Ecclesiæ humo, longè se explicantia, scientiarum profluuia, nec tam sua fæcunditate eam refecissent, distracta tot in erronei sensûs riuulos, quot erronum non tam docti, quàm vanâ gloriâ & antiqui astutiâ, Serpentis inflati, Orbem Vniuersum calamitate errorum inficiebant, lepes calami? ni Fontis istius Diuinissimi purâ doctrinæ lymphâ, primò depurata, postq, plenitudine eius inter se coagulata, lymum mendorum illum, procul remouente, & perspicacitatem omnem secum ferente, aucta reuixissent. Sacra Bo-

otiæ

otiæ humus, suis cum Colonijs, vniuersum amisisset humorem, ni Aquinaticæ Petræ aquâ irrigata mansisset. At quis fando Tuæ Sapientiæ elogia, si immortalis eloquentiæ tributum in immensum augeretur, dignè recensuerit? qui Virtutum Tuarum cælesti etiam eloquio, sterilem & inglorium laborem fecisti. Fons Solis in Libia ipso supra Horizonta quadrigis assurgente Phæbo, vt atras dispelleas noctis opacæ tenebras, aureos rutilantis splendoris sui in diem nouum dispergeret radios, feruentissimis (Plinio si credimus) ebullit vndis. Aquinatica de Petra eductum Fontem Solis Diuinissimum, iam æternitatis illucescente die, ad tot meritis fatigatum eius cursum, veneremur. Tot ille sapientiæ scientiæq́; lymphis vbi irrorasset ac inspersisset totius terræ sacratæ superficiem, quot volumina delectu eximia, libros sublimitate excellos, elaborauit: tot conceptuum vndis, vbi irrigasset ac maduisset Orthodoxæ Ecclesiæ faciem, quot fidei dogmata subtilitate peracuta, scripta pondere salutaria, reliquit: flagrans summo ardore, has inter mundi tenebras illecebrarum, Fons in nocte, quàm citissimè mari inexhaustæ Sapientiæ per visionem beatificam illabi, Nouæ Fossæ, inuentis cuniculis, suauia dulci susurro resonans Cantica, properauit. Sed eheu D. Doctor Noster? siccine decuit relinquere tua initia? lacteas postponere Candidissimi Ordinis Prædicatorum Vias, & Cystercienfium melleos arripere cursus siccine decuit? sic sic A[illegible] Vniuersum enim vbi irrigauit orbem Fons ceu Paradisi, etiam D. Bernardi, mel & lac ferentem humum, humore suo maduisse non incongruum iudicauit. Enimverò profusissimus Fons Vester Religiosissimi Patres, Martia hæc, toto Orbe clarissima, aqua, licet Nouæ Fossæ, vt Cappadociæ Pyramus, vel Tygris Mesopotamiæ, subterraneos scrutatur paulisper cuniculos, erupturum breui, & saturnini fontis præsagium Vobis allaturum, ne desperetis. In Nouam Fossam, Vel ideo quinquagenarius, conciliato Lugdunensi Concilio, irrationalium etiam non sine doloris signo, ruit; vt apud Vos impetu Angelico, eò faciliùs, eò altiùs, in breui ebulliat: omnes infensos Ecclesiæ Dei hostes, æuiternis in Diuo Patre Dominico sæculis, absorpturus. Cedit iam Tuæ laudi cedit, verè Candida, Purissimæ enim Virginis laudi dicata; D. Dominici Familia, hæc fluens sanctitatis ac sapientiæ, ab isto Fonte in Te transfusa certitudo, quâ Vniuersum Orbem multò beatiorem pristino fecisti. Cedit illa gloria, quàm Orbis caput Roma, Doctori Sancto tribuit, in eius, tota ad sacram Congregationem effusa, panegyrim. Cedunt illa encomia, quæ D. Aquinati Sorbona, Neapolis, Bononia, Patauium, Lugdunum, nostra Iagellonica Pallas, imó quæq; toto Christiano Orbe, bonarum artium Emporia fulgent, ceu hecatom-

conuin= et v scribe.

 bem

bem deuouent & litant. Tibi soli debent æternùmq; debebunt cunctæ Coloniarum Nymphæ, perenne exoluere tributum, quòd ingrauescente ignorantiæ siccitate, & tetris, ob ariditatem ingeniorũ, per sæcula exurgentibus monstris, nontantùm oppressæ, sed iam suo & deturbatæ Parnasso, cum lamento: Nos Musæ mulæ, famaq; nostra fames, non euanuerunt. Opprimebant toties Aquilonares turbines, maleculturum mentium, notæ rationis Zephyros, Ethesias Boreæ, Gratias Parcæ, amænitatem spinæ, & huculq; grauiùs earum imbecillitatem inuasissent hi insultus hostium; ni Taumaturgam Palladis Prouinciam, Zephyrorum sedem, Metropolim Intelligentiarum, Ethesiam aulam, penetral Gratiarum, ceu almam ridentis mundi Voluptatem, Doctor Vester, Religiosissimi Patres erexisset; erectamq; velut inexpugnabile propugnaculum, tot Clypeis, quot argumentorum explosionibus, exarmasset. Sed cætera fida rerum custos posteritas mirabitur, & ex grata conscientiæ fide recitabit.

Hi ergo sunt inexhausti è Petra Aquinatica erumpentes Beati Fontis Solis latices, qui arescentem linguam meam crasso inexcultæ Orationis stylo, Vtinam irrigassent lautius, sic vt totus in applausum, iam triumphantis in sanctis montibus, liquefierem. Ast stabit in dignam laudum coronidem, vel hoc ipsum, quòd vbi excelsissima etiam eruditorum ingenia non exhaurire aut capere illum sufficiunt, hîc & mea pia deficit audacia: Quum verò ad exuberantes Tuæ Maiestatis vndas, quod Angelicus sis, Fons Sanctissime, pronus occumbo; assurge precor in commune decus nunquam succumbens aduersitatibus D Doctor. Feruentem cruore purpureo terram, Martis rabie Bellonæq; æstu adustam, Fons Sacrate, repara, roreq; felicitatis Tuo, deficientem viuifica. Aquæ intoxicatæ veneno Acherontis multæ, populi multi, vndis beatioribus intermixtæ Tuis, sentiant tuum iuuamen. Te Doctorem fidei Orthodoxæ, Te Ductorem citra errores, vt semper, inueniant. Non stillicidium, sed cataractas Petra inexpugnabilis Ecclesia Christi, quas expectat expetitùe, Tui inueniat, vt copiosiùs beatam messem, Tuis fertilibus irrigata vndis, sortiatur. Quem Sacra Christianitas Fontem, eundem & Polonia Abyssum vtinam videat; vt ex te mille, contra furentes, ebullientium ab Euxino procellarum, impetus; mille (inquam) veniant & consilia conseruandæ Patriæ salutaria, & Asyla. Irriga vltimò & Iagellonicum Parnassum Almam Vniuersitatem Cracouiensem, Fontiq; Academico ad Lubranscianam Pinum, ne Heliconis nostri exarescant Nymphæ, Beatissime Fons, guttam, vtiq; sufficiet, Patrocinij instilla, vt sic tonitruantibus maleuolorum aspectuum, dissipatis nimbis, pacatè tali Te æternùm veneretur cultu, quali hactenus per me est venerata SOLIS FONTEM

D I X I.